



Mathias natus est in oppido Albona, quod ab albedine soli apud Illyricos nomen accepit, circiter annum millesimum quingentesimum uicesimum, ex plebeia sed ueteri & numerosa Flacciorum familia. Patrem habuit Andream Flaccium, matrem uero Iacobam ex nobili Luciorum familia oriundam. Licet autem is extra Germaniae fines natus sit, tamen cum a iuuentute apud Germanos uixerit, atque ea lingua aliquot libros aediderit, suaqe constantia & eruditione Germaniam plurimum exornarit, non immerito quoque inter Germaniae illustres uitios recensere placuit. Erat autem Mathias praeclara in dole praeitus. itaqe pater ipsum literis uacare uoluit, atqe prima rudimenta docuit, cum & ipse ad uirilem maturitatem bonis studijs incubuerit. Cum autem pater anno Mathiae 12 obiisset, ipse quoqe (ut plerunce fieri solet) a tutoribus aliquando neglectus fuit. Verum aetate crescente ad literas rediit, atqe in patria Francisco Ascerio Mediolanensi praeceptore usus fuit. Postea Venetias accedens Ioannem Baptistam Egnatium bonas literas iuxta forum D. Marci profitentem audiuit.